

Disputatio medica inauguralis de suppressione fluxus menstrui / [Paulus van den Bergh].

Contributors

Bergh, Paulus van den.
Rijksuniversiteit te Utrecht.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Typis Alexandri van Megen, 1738.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xw7fyzh4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13370/P

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SUPPRESSIONE FLUXUS
MENSTRUÏ;

QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris

GUILIELMI AB IRHOVEN,

S. S. Theol. & Philos. Doct. illiusque Facultatis
in hac illustri Academia Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et No-
bilissimae Facultatis MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, &
Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

PAULUS VANDEN BERGH, HAGA BATAVUS.

Ad Diem XI. August. H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,

Typis ALEXANDRI VAN MEGEN,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCXXXVIII.

DISPUTATIO MEDICA
DE
LAAGUUR


SUPPRESSIONE FLUXUS
MENSTRU;

AVVENTE DOUTER OPT. MAX.

WILHELM ABRAHAM HOVEN

S. Theol. & Philol. Doct. ill. Facultatis
in sac. ill. Acad. & Theol. Ord. Cant.

PRO GRADU DOCTORATUS
Summae in MEDICINA Honoris &
Praxisque in se legitime contractae



TRIPLECTI A. B. R. H. N. U. M. I. I.
A. B. R. H. N. U. M. I. I.
A. B. R. H. N. U. M. I. I.

DEO.
PATRIÆ.
PARENTIBUS.
CONSANGUINEIS,
PRÆCEPTORIBUS,
ATQUE
AMICIS.

Hanc disputationem consecrat

PAULUS VANDEN BERGH;

D E O.
P A T R I A.
P A R E N T I B U S.
C O N S A N G U I N E I S.
P R A E C E P T O R I B U S.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

SUPPRESSIONE FLUXUS
MENSTRUUI,

§. I.

DE Suppressionione Fluxus Menstrui, ut laudatissimis hujus Academiae legibus (postulantibus scilicet ut quisquis Lauream Doctoralem ambiens, suorum profectuum aliquod Specimen edat) satisfaceret, brevem pro viribus instituturi tractationem, a proposito nostro minime alienum fore opinamur, si antequam hujus affectus explicationem aggrediamur, pauca quaedam de ejus statu secundum naturam, praemittamus.

I I.

Cum vero juxta Medicorum Principem *Galenum libr. 3. de simplic. Med.* turbatus nominum usus, rerum quoque ipsarum utum turbet, merito ab evolutione vocabulorum ortum ducimus.

A

III.

I VI.

Derivatur itaque Fluxus, a verbo Fluo, & varias apud Medicos habet significationes: accipitur aliquando late pro omni defluxione aut delapsu materiae peccantis, a quacunque parte, ad quamcunque partem, & ita convenit cum vocibus Catarrhifis, & Catarrhus. *Lang. Libr. 2. Ep. 16.* aliquando stricte & cum additione. V. G. Fluxus ventris, cum semper & assidue humida dejiciuntur excrementa sine tenesmo & lienteria: *Galen. c. 2. in 1. Epid. 1. 36.* aliquando strictissime cum & sine additione de Fluxu Muliebri *Hippocr. Libr. de Nat. Mulier. 15. 2.* hac in dissertatione pertractando.

I V.

Menstruus porro vocatur iste Fluxus a vocabulo Mensis, quod singulis periodis Mensium Lunarium ordinarie recurrere solet: quo circa *Etmullero Fund. Med. ver. part. 2.* & *Roderico à Castro de Nat. Mulier. libr. 9. c. 2.* Tributum Lunare, Debitum Lunare, Purgatio Lunaris; & Fluxus Lunaris audit: nonnulli cum absolute Menstrua, *Barbett. Prax. libr. 4. c. 11.* Menses, *Manget. in eundem;* & Menstruationem *Blas. Med. Univ. Pag. 10. § 452.* vocant: alii tempora, quod stas temporibus recurrat: alii denique Flores, rati quod sicuti arbores fructum non ferant, nisi fibres prodeant, ita ad concipiendum apta foemina non fit, nisi prius Menses fluant: quod tamen accidisse testantur exempla earum, quæ, licet tota vita nullum omnino fluxum passæ, frequenter conceperunt, & pepererunt: vid. *Marcell. Donat. Hist. Admir. libr. 2. cap. 74.* *Panaroll. Pentec. 1. Obs. 15.* *Timæus libr. 4. cap. 7.* Græcis Catameniorum, & Epimeniorum nomine salutatur.

V.

Hiscæ præmissis ad magis realia nos accingamus, & quid per Fluxum Menstruum intelligamus, paucis dabimus. Definimus ergo *Fluxum Menstruum, quod sit illa sanguinis boni abundantis ex-*
cretio

cretio, quæ singulis Mensibus in sexu foemineo justæ ætatis, ac conditionis, per vasa arteriosa Uteri, ordinario contingere solet.

V I.

Quo feliciter autem in tractatione nostra progrediamur, non inconsultum fore putamus Uteri, (utpote affectus nostri primarii, & specialis subjecti, & omnium muliebrium morborum causæ, ut testatur *Aphoristes in princip. libr. 2. de Morb. Mulier.*) descriptionem, quoad ejus situm, figuram, magnitudinem &c. tribus solummodo verbis, quoad vasa vero paulo accuratius, licet etiam simul brevius, hic subjungere.

V I I.

Uterus (forte ab Utre, quoniam instar Utris foetum continet) merito ab aliis Matrix appellatur, quia quamdiu foetum in se continet, matris vices in alendo, ac conservando gerit, vel secundum nonnullos, quia illa pars matres efficit, si enim illa carerent foeminae, nunquam matres fierent: Unicus tantum numero existit, licet præter communem naturæ ordinem aliquando bipartitus aut duplex observatus fuerit: Situs est in abdomine, ejusque infima, & hypogastrica parte: inter vesicam, & intestinum rectum, ceu inter duo pulvinaria collocatur, ne ossium pelvim constituentium duritie tempore gestationis læderetur tenellus Embryo: Figura ejus varia est: extra gestationis tempus, pyrum juxta *Graaff. de Org. Mul. Gener. inf. Cap. 8.* vel minorem cucurbitam, sive corniculum juxta *Riolan. Enchyrid. Anat. libr. 2. cap. 38.* repræsentat, in virginibus ante & retro aliquantulum depressam, in iis vero, quæ pepererunt magis rotundam. vid. *Diemerbroek. Anat. Libr. 1. c. 24.* in gravidis secundum ipsiusmet foetus molem vastissime extendi solet substantia ejusdem; non solum nativam crassitiem retinente, sed & ad augmentum foetus indies in majorem molem excrecente, quamvis quidam, impr. inter recentiores *Franc. Mauriceau Chirurgus Gallus*, hoc absolute negant: magnitudinem ejus variat ætas, temperamentum, veneris usus, corporis proceritas, & infinita alia, quod observationes Hysterotomorum testantur:

Longitudo item & Latitudo pro diversitate foeminarum varia etiam deprehenditur, ut & Crassities, quæ Autopsia teste maximopere variat; nam puellarum in vere ætatis constitutarum Uterus substantia gaudet admodum tenui, crassior jam deprehenditur in adultioribus, omnium vero crassissimus in gravidis: idem dicendum quoque de ejusdem amplitudine, quæ pro diversitate longitudinis, & latitudinis diversa etiam existit: Membranis constat duabus, quarum unam anteriorem ipsimet peritonæo acceptam refert; alteram posteriorem propriam agnoscit fibrosam, porisque plurimis donatam: arterias accipit ex Spermaticis, Hypogastricis, Iliacisve internis, & Hæmorrhoidalibus, anastomosibus inter se in plexus reticulares mirifice, ubique unitis, incurvatis, intortis totum Uterum ambi-entibus, ejusque molem perreptantibus ubique, & undique, ultimo evanescentibus, & quasi Uterini corporis partem maximam constituentibus; his dein arteriæ ex ramo Iliacæ externæ, in arcum flexæ sursum, per inguina ex altis femoribus in pelvim erectæ, lateribus Uteri applicatæ, accedunt simili apparatu, & origine, Venæ pariter omnes inter se communicantes, valvulis carentes, ita ut humor ex una per omnes ire, redire, queat; in cavitate sua interna pertunditur non modo emissariis tubarum Fallopii, sed & plurimis hiatibus exiguis, humorem blandum, aquoso-mucosum sudantibus, quo interne lubricatur, defenditur, a concretione impeditur ejus cavitas: superbit insuper suis quoque vasis Lymphaticis: Nervos a propaginibus rami octavæ conjugationis, tum & ab osse sacro habet: in decenti situ detinetur, & vicinis partibus annectitur duorum ligamentorum parium ope: præterea vagina Uteri anteriori cum vesica, & ossibus pubis, posteriori cum intestino recto intercedentibus fibris membranaceis a peritonæo dimissis, conjungitur: clarioris doctrinæ gratia dividitur in fundum, cervicem, & vaginam: Fundi nomine in foro Medico omne illud venit, quod ab orificio interno in superiorem partem sese extendit: Cervix vocatur angustior ille canalis a fundo ipsius Uteri ad collum seu Vaginam usque productus: a cervice denique ulterius producitur anteriora versus Vagina, collum matricis aliis nuncupata, canalis mollis & laxior, atque in orbem commeantibus rugis inæqualis.

VIII.

Delineata sic, rudi quamvis penicillo, Uteri constitutionē, proximum est ut inquiramus per quamnam ejus partem Menstrua hæc purgatio institui soleat. *Clar. Piso Obs. 7. Riolan. Antbr. libr. 2. cap. 25.* & ex recentioribus *Gouey veritable Chirurgie pag. 398.* sanguinem menstruum ex sola vagina prodire sustinent, illudque se in cadaveribus observasse scribunt; quam tamen sententiam consentientibus *Littrio Hist. Acad. Reg. Ann. 1720. Grassio Ephem. nat. Curios. Cent. 5. obs. 24. ac Santorino. Morgagn. adv. Anat. 4. p. 48.* rationibus, & experimentis refellit *Regner. de Graaf de org. Mul. gener. inserv. cap. 9.* Videmus enim, inquit, foetus nutrimentum, quod toto gestationis tempore a materno sanguine desumitur, per nullas alias vias, quam per Uterum transire: item illum, qui enixo jam foetu, Lochiorum nomine foras eliminatur, eadem via erumpere: uti id in puerperarum dissectionibus quandoque nobis observare licuit; nec dubitamus, quin idem quoque notaturi sint ii, qui inflatis hypogastricis vasis vel præparantibus ad oscula in Uteri fundum hiantia diligenter attendunt: quorsum igitur Menstruorum Fluxus, qui ejusdem plane naturæ existit, per alias vias erumpere niteretur? hujus opinionis probatio a sanguineis vasis facile desumitur, quoniam longe plura ac majora ad Uterum, quam reliquas ejus loci partes excurrunt; idem quoque confirmare videtur lumborum dolor, quem instante Menstruorum Fluxu, plerumque a vasorum Hypogastricorum distensione mulieres persentire solent: atque tandem evincit ocularis inspectio: refert enim *Higmor. Disq. Anat. Libr. 1. part. 4. cap. 4.* in menstruatam internam Uteri membranam a prominentibus venarum orificiis asperam esse: Adstipulatur à *Castro l. 2. de nat. mul. cap. 11.* dum inquit: testari mulieres se vidisse Uteri procidentia laborantes, quibus ex Uteri osculo sanguis evidentissime promanabat: si enim Menstruorum Fluxus naturaliter per Uteri vaginam, & non per Uterum erumperet, vanus atque superfluus esset abortionis metus, cum ille in gravidis sanguineis atque alimentari succo repletis sponte excitaretur: siquidem natura faceret id, quod ejus minister

per venæ-sectionem aliquando præstare tenetur, ne superabundanti sanguinis copia foetus de suffocatione periclitetur: cui & nos subscribere non dubitamus, licet non negemus, quod interdum etiam pro accidentium varietate per vaginæ vasa sanguis ille eliminetur; videntur enim id docere menstrua, gravidis quibusdam factis frequentia, atque certo tempore fluentia, absque ullo abortu subsequente: tum quoque ordine quodam, licet non perfecte naturali, profluentia his, quibus mulieribus, virginibusque, per annos Uterus aqua fusca turgidus, nunquam apertus tamdiu fuerat. *Vesal. Libr. V. Cap. 15. de hum. corp. fabr.*

I X.

Nec minor controversia habetur inter auctores num scil. arteriæ potius, an venæ materiam excernendam suppeditent: *Vesal. loco citato*, ejusque sectatores ex fundi venis. *Columb. l. 10. anat. ex illis*, quæ a cava divisione oriuntur, & in Uteri cervicem ad latera inferuntur: *Galen. sect. 5. aph. 60.* ex utrisque tam fundi, quam cervicis venis hunc sanguinem effluere censent: nos vero ab hisce omnibus discedentes cum *Riolan.* & recentiorum plerisque arterias pro vasis hunc sanguinem adferentibus, agnoscimus.

X.

De ratione ac modo, quo menstrua excitari solent, Medici adhuc minus inter se conveniunt: alii enim influxum Lunæ hunc Fluxum producere contendunt, ita quidem ut juniores Luna nova, vetulas vetus tantum repurget, quales sunt *Arist. de Generat. Animal. libr. 2. cap. 4. Cranen de hom. c. 164. & Waldschmid. colleg. pract. l. 4. cas. 8.* Cum enim cunctis mensis temporibus hanc vel illam Menstruo expurgari videmus, citius aut tardius pro temperamentorum varietate: non est itaque hujus periodi causa in sempiternos, & immutabiles Lunæ cursus referenda. Aliqui fermentum quoddam in Liene, Hepate, Pancreate, Glandulis, aut circa Uteri substantiam collectum pro causa agnoscunt ut *Etmull. fund. med. ver. libr. 1. cap. 23. Diemerbr. Anat. libr. 4. cap. 24.*
Zy-

Zypeus Fund. med. part. 2. cap. 3. cujus autem existentia cum nondum demonstrari potuerit, non possumus non tale cum *Clar. Peyero* negare, qui hac de re cum *Celeb. Hardero* fusius egit *Exerc. anat. med. 5. 6. & 7.* alii denique in plethoram culpam conjiciunt. vid. *Bohn. Circ. anat. progymn. 16. Casalpin. de Sanand. corp. morb. libr. 8. cap. 3. River. Inst. med. libr. 1. sect. 7. cap. 2.* cui postremorum opinioni ut maxime probabili, & nos assentimur: Provida etenim natura non solum conservationis individui, verum etiam imprimis speciei propagationis studiosa, corpus foeminarum ita disposuit, constituitque, ut maturis viro tantum sanguinis a visceribus suis generaretur, quantus non solum ad sui, sed & ad foetus nutritionem sufficeret; ubi vero nondum maritalitatis, neque gravidæ aut lactantes existunt, necesse est, ut ejusmodi sanguis e corpore eliminetur, ne toti noxa aliqua exinde resultet. Simulac ergo virgo sana, adepta terminum sui incrementi, incipit conficere plus humoris boni, quam sustinendo corpori requiritur, quum augendo non amplius impendat, implebit plus sua vasa, maxime Uterina, & mammaria, utpote minime pressa; hæc dilatabit plus quam alia, hinc & lateralia vascula in cavum Uteri evacuantiâ humorem valde impleta extendet; inde dolor, calor, pondus, sentiuntur in lumbis, ad pubem, & inguina; excitatur febricula; dilatantur vascula Uteri, ita ut sanguinem ipsum in cavitatem Uteri stillent; os ejus lubricatur, laxatur, sanguis exit; minuitur ejus copia, minus premuntur, plus se contrahunt illa vascula; retinetur sanguis; dimittitur crassior pars feri, tandem sola illa lymphæ consueta; iterum conficitur plus humorum, facilius deponitur in vasa jam semel dilatata, hinc eunt, redeunt, vario in variis tempore, menstrua;

X I.

An vero sanguis hic de reliqua universa massa alteratus sit, an contra? multum disceptatum est a medicis: cum autem ejus usus specialis proprie sit, nutritionis foetus in prægnantibus officium, quod inde clare patet, quod præsentem foetum ordinario absque ullo incommodo fluere cessat, illum nec crudum, nec impurum, mul-
to

to minus venenosum, sicuti de eo *Plin. Hist. nat. cap. 1. Lib. 17. Columell. Rei rustic. Lib. 1. cap. 3.* aliique fabulantur; sed in leborum cum *Fallopio* esse judicamus. Decipiuntur inquit ille *Libr. de med. purg. cap. 1.* certe nonnulli, qui ex symptomatibus quibusdam, quæ dicunt accidere, dum mulieres menstruatur, adferunt, menstruum esse malum, & corruptum.

XII.

Hicce perlustratis considerandum venit tempus, tum ratione ætatis, quo anno hic Fluxus Menstruus stillare incipiat, iterumque desinat, tum ratione periodi quando redeat, tum ratione dierum quamdiu duret.

XIII.

Tempus, in quo Fluxus ille incipit, præcise definiri nequit, differt enim quam maxime tum respectu temperamenti, s. habitus subjecti, tum regionis aut cæli, quod incolunt: &c. prout enim calidiores, & succulentiores eo citius cruorem funtunt: & de *Rasbutarum* filiis *Olearius in Mandesloj Itinerario Ind. or.* scribit, quod sexto imo quinto ætatis anno nubant, ex quo fiat, ut sæpissime ante decimum ætatis annum pariant, hinc probabile, menses his, hac ætate stillasse: in nostris provinciis quotidiana experientia teste communiter circa decimum quartum, aut quintum ætatis annum erumpunt: aliis citius, aliis tardius: ita nonnullis circa duodecimum ætatis annum profiliisse scribit *Sennert. libr. 4. Prax. f. 2. cap. 1.* Undecimo *Barthol. obs. anat. 91. cent. 3.* Sexto *Fernel. Pathol. libr. 6. cap. 16.* Quarto *Tulpius libr. 3. obs. 36.* Tertio *Pechlin. Eph. germ. obs. 28. ann. 9.* Secundo *Cl. Dekker. in notis ad prax. Barbett. pag. 247.* Imo die nativitatis primo *Kerkring. ob. 87.* hunc Fluxum cepisse, confirmant: sed quia hæc a nobis adducta & ulterius adducenda rarioris commatis sunt exempla, ob id ordinario naturæ cursui nihil præjudicant: tardius nunc eum experiuntur quibus decimo-sexto, septimo, octavo, imo vigesimo demum ætatis anno hoc naturæ beneficium obtigit, quorum exempla

pla videantur apud *Bonetum*, *Schenk*; *Pechlin*: & alios: quo enim maturius hic Fluxus contingit, eo citius etiam cursum suum ordinarium absolvit, & contra.

X I V.

Tempus in quo desinit, licet quoque multum discrepat, ordinario annus quinquagesimus statuitur juxta tritum

*Adde decem ternis muliebria Menstrua cernis
Ad quinquaginta durat purgatio tota.*

Prorogari tamen ad quinquagesimum tertium & ultra adseverare conatur *Hollerius*: *Ægineta* l. 3. cap. 60. *Authore Philos.* l. 7. de *Hist. anim.* hæc scribit: desinuat purgari aliquæ circa quinquagesimum, paucae circa sexagesimum annum; quia teste *Plinio* tunc non amplius gignant, etiam voluptas nondum cessat: in aliis abbreviatur, quando ut in pinguibus, & iis, quæ nimis juvenulæ marito junguntur accidere solet, hic fons ante quinquagesimum annum exarescit: in aliis prolongatur quando terminum consuetum excedit: sic inventæ fuere foeminae, quæ non solum ad sexagesimum, vel septuagesimum sed & ad decrepitam usque ætatem sc: centesimum, imo centesimum primum ætatis annum, hunc Fluxum expertæ sunt. vid. *Solenander sect. 5. conf. & Hercul: Saxon. Pract. med. l. 4. c. 23.*

X V.

Tempus ratione periodi quam Menstruus Fluxus naturaliter absolvere debet supra indicatum fuit ubi Menses singulis Lunæ circuitibus recurrentes descripsimus; in eadem nimirum foemina si nullum commiserit vitium, in rebus non naturalibus, bonique sit habitus, consueto die & hora recurrunt, certo plane argumento per omne id tempus omnia viscera optime suo fungi munere, minimum vero vitium, si tantum alicujus sit momenti, in causa est, ut ocyus, vel tardius provocentur, vel si majus fuerit, plane retineantur. Interim res est quotidianæ experientiæ, non-

nanquam aliquot dies perfecto mensi deficere : sicut enim in quibusdam hic Fluxus unum atque alterum diem anticipat : ita in aliis totidem diebus postponitur : unde illæ tredecim, hæ modo undecim singulis annis purgantur vicibus : nec tam accuratam periodum semper observat : adfert enim *Bohn Progymn: 16. Circul. Anat.* historiam muliebris bis quolibet mente absque sanitatis noxa Menstrua rejicientis, & vetulæ tertia quavis septimana sanguinem deponentis ; *Zypæus part. 3. cap. 1. in Fund. Med. Reform.*

X V I.

Tempus ratione dierum quamdiu Fluxus Menstruus durat, pro subjectorum diversitate quoque variat. Quibusdam enim per duos tantum dies ; aliis per tres vel quatuor, aliis ad octavum diem fluxisse testis est experientia. Hoc illis accidit, quæ sanguine oppletæ in otio degentes genio suo indulgent. Illud adultioribus, tenuique victu utentibus, & vasa sanguifera perquam angusta habentibus.

X V I I.

Quantitas determinata Menstruorum indicari nequit, pro individuorum enim ratione diversa, & pro diverso unius cujusque statu, maxima iterum occurrit hoc in loco varietas : Aliis enim vix ad uncias duas vel tres fluunt, aliis vero ad libram, vel duas juxta medicorum Principem *de Morb. Mul. libr. 1. cap. 16.* prout plethoricum vel cacochymicum sit subjectum.

X V I I I.

Hunc Fluxum nunc experiuntur mulieres indiscriminatim seu sint Virgines, s. Maritatae, s. Viduæ, modo sint ut definivimus justæ ætatis, ac conditionis, cujus respectu primo excipiuntur quæ sunt infra septenarium secundum, deinde quæ ultra quinquagesimum excurrunt, cujus ratio est, quod nimirum puellæ a prima ætate ad septenarium secundum usque maximum habeant corporis incrementum, quod adeoque omne illud, quod nutrire aptum natum est, in substantiam corporis infumatur, nihilque re-

ma-

maneat superflui, quod naturæ possit esse molesti, eamque ad excretionem sollicitare, unde est quod ante decimum quartum annum puellæ nihil naturaliter per Uterum expurgant: In posterioribus, ob finem in genere exolescentem, quapropter admissio etiam ejus, ut in posterum inutilis, aboletur. Secundo Utero gerentes & lactantes ex observatione Hippocr. Aph. 39 sect. 5, in his Menstruorum materia in lac absumitur; in illis vero abundans sanguis in alimentum foetus abit. Quo etiam spectant viragines: validius corpus exercentes: item quæ ex morbo resurgunt macilentæ, & exsuccæ: his enim prius naturæ hic fons non aperitur quam habitiores paulo factæ fuerint: tales enim absque eo actionum gaudent integritate: nec in talibus casibus desideratur cura.

X I X.

Atque hæc hætenus de Mensium statu secundum naturam, qui quamdiu in hoc permanferint, mulieres salvas & incolumes conservant; quam primum vero parumper a statu hoc naturali recedunt, maximas in œconomia corporis solent excitare turbas. Multiplex autem & varia est eorundem, ab hoc declinatio seu recessus, nos hoc in loco præcipuum tantum, quod communiter occurrere solet vitium, a quo mulieribus maxima plerumque imminet mala, scil. eorum Suppressionem proponere decrevimus. Definiri vero hæc solet, quod *fit sanguinis præsentis, qui in mulieribus stato tempore, certa que quantitate excerni solitus est, retentio seu excretio abolita.*

X X.

Non erit itaque nobis sermo de gravidis, lactantibus, annos foecunditatis prætergressis, aut iis, quæ sunt infra septenarium secundum: in his enim propter causas § 18. allatas secundum naturam fit cessatio, sed de iis, quibus naturaliter fluere debebant, aut fluxerunt, nunc iterum cessant.

X X I.

Causas quod attinet, ob quas naturalis hujus sanguinis excretio

supprimitur, aliæ sunt propinquæ, aliæ remotæ: causæ propin-
 quæ duplices sunt: latet enim in sanguine vitium, aut in ipsis
 vasis: sanguis quantitate & qualitate peccat, quantitate quando
 nimirum vasa præ nimia copia eousque distenduntur, ut se amplius
 contrahere, adeoque contentum in se humorem exprimere, & ex-
 cernere nequeant, qualitate si in sanguine adest cruditas, & huic
 combinata crassities, glutinosaque visciditas: si in vasis Uteri hæ-
 reat vitium, hæc aut obstructa aut constricta sunt: materia ob-
 struens potest esse variæ fortis, v. g. viscida, vel glutinosa quæ-
 dam substantia, sanguis grumosus, crassius pus, vermes, calculi
 &c. quæ omnia Fluxum sanguinis membris genitalibus interclu-
 dunt. Constringuntur autem vasa, vel a primo ortu, vel suc-
 cessu temporis. Constrictio a primo ortu est, quando vasa adeo
 angusta natura sunt formata, ut sanguis eorum exilitatem per-
 meare nesciat; hinc in aliis locis vasa perumpit, & inconsuetas
 quærit vias. v. g. per nares, asperam arteriam, gulam, quale
 exemplum *Sylvatius cent. 2. consil. 98.* adducit; per vomitum,
vid. ann. 6. dec. 1. obs. 49. Eph. per oculorum canthum,
Schenk. libr. 3. Obs. p. 511. per aures, *Brassav. Comm. ad Aphor.*
15. libr. 4. e gingivis & inguinibus, Zacut. Lusit. libr. 2. Admir.
obs. 91. Ex elisi dentis alveo, Russeus libr. de Passion. Hyster. per
 verticem, *Kerkring. obs. 85. e mammis, Sal. Albert in Anat.* per no-
 tabilem porum in cute circa hepatis regionem, *Schenk. pag 413.*
 per umbilicum, *idem per vesicam urinariam, Manget. in Barbett.*
Prax. libr. 4. cap. 11. per alvum, Hipp. libr. 1. de Morb. Mulier.
 per hæmorrhoides, *Paræus libr. 23. cap. 12. per vulnus digiti*
vulnerati: Eph. N. C. Ann. 8. obs. 86. dec 2. per minimum ma-
nus digitum & per annularem sinistrae manus, Lud. Mercat. lib. 1.
cap. 7. per Ulcus tibiæ, ann. 5. dec. 2. obs. 81. Eph. per sudo-
 rem denique *Doleus in Enyel. Med. libr. 5. cap. 3.* quod omnium
 maxime contingit in juvenibus, quæ hunc Fluxum nondum sunt
 expertæ. Successu temporis constringuntur vasa, quando viæ
 ex ulcere per coalitum coangustantur, qualem historiam narrat
Beniven. de Abdit: Sanit. & Morborum causis, & ab Uteri gan-
græna & collo contorto Cl. Rumler. obs. 55. a membrana qua-
dam vulvæm occludente, exempla occurrunt apud Fred. Ruysch.
obs.

obs. 32. & Fabr. ab Aquapendente de Oper. Chir. p. 2. c. 84. & 85. ab Uteri clausura propter cicatricem & callum vid. *Timæus à Guldenkice libr. 4. cap. 7.* non raro impedimento sunt scirrhi meatum Uteri comprimentes it: tumores aut abscessus ex abortu, partu difficili, casu, contusione &c. A polypis in Uteri vasis, quos tantos *Regn. de Graaſſ* reperit, ut vasa implerent, vid. *Tr. ejus de Org. Mul. gener. inseru. cap. 8.* aut quando Mensibus fluentibus, subita corporis alteratio supervenit: s: hæc fiat a graviore animi pathemate teu a refrigeratione nimia s. ab assumptis acerbis, s. ab aliis rebus inimicis, par est ratio.

X X I I.

Causæ remotæ Suppressionem sanguinis promoventes sunt, (1) Aër humidus nimis atque frigidus: hic enim corpus densat, occludendo poros inperspirabile reddit, pituitæ copiam auget. *Lind. ap. Etmull Prax. Med. 1: 5. cap. 5.* (2) Cibi quantitate vel qualitate peccantes: a nimia enim ingurgitatione ciborum ventriculus impar fit, ad eos dissolvendos, & digerendos; ex quo crudus generatur chylus, qualis vero chylus, talis sanguis. Qualitatem assumptorum, quod attinet, nihil magis mulieribus noxium esse experientia testatur quam largius ingesta acida, & ex his parata omnia acetaria, austera, terrea, dura, crassa, pituitosa, viscosa, & adstrictoria vi prædita: in confesso enim est assumptionem ciborum crudorum, vid. *Cl. Dekker in notis ad Barbett. Prax. l. 4. cap. 11.* Esu frigidorum & vitiosorum alimentorum diuturnum, *Regio libr. 3. Med. 44.* Picæ indulgentiam; Casei & panis recentis utum, *Etmull loco citat.* Ingurgitationem frumenti crudi, Cretæ, Arenæ, & Carbonum, *Zacut. Lusit. pr. Med. libr. 2. obs. 99.* fructuum horariorum assumptionem *Schenk. l. 4. Obs. 1.* item nivem frigidam assumptam idem *Schenk. pag. 696.* & haustum aquæ frigidissimæ, *Zacut. Lusit. libr. 3. obs. 4.* & *Avicenn. de Mensur.* notantibus, hunc morbum præcessisse. (3) Motus & quies, (4) Somnus & vigiliæ quemadmodum alternatam mediocritatem si observant, Sanitatis, ita si hujus limites transcendunt, affectus nostri fabri existunt non ultimi; dum enim a nimio motu ac vigi-

liis Spiritus dissipantur, hi concoctionibus & digestionibus præesse nequeunt, unde cruditates in corpore cumulantur. Immoderata vero quies & somnus quid in corpore præstent docet *Galen. libr. 5. de Caus. Sympt. c. 5.* pituitosos hæc facile producere posse humores, dicendo. (5) Excreta & retenta: excretiones quatenus vel immodicæ per alvi profluvia, hæmorrhagias, aut vomitum menses retinent, vel diutius retentæ vel plane intermissæ vasa nimium replent, hinc sequitur tardior humorum circuitus, & consuequenter eorum incrassatio. (6) Animi pathemata, quæ seculum sequiorem valdopere exercere adsolent. Præcipue tamen huc spectant timor, terror, mæstitia, ira: hoc ipsum observationibus egregiis illustrat *Cl. Dekker. Exc. Pract. c. 7.* tradendo historiam puellæ viginti annorum, quæ post gravem mærorem ob mariti mortem eundem effectum percipientis. *Conf. Magn. in Prax. Barbett.* loquentem de puella octodecim annorum adfecta malo, eandem ob causam. Terrorem hoc malum præcedere docet, *Waldschm. Instit. libr. 2. c. 10.* quod historia mulieris terrore percussæ ac deinde Menstrua non solventis probat *Ant. de Heide Cent. Med. obs. 44.* hujus denique morbi præcursores fuisse varios morbos testantur *Ætius Tetr. 4. Serm. 4. cap. 51. Höferus Med. Fam. pag. 553.* & alii. Quod etiam de medicamentorum adstringentium usu immoderato adfirmant, *Cl. Dekker. & Mang. in Prax. Barbett. libr. 4. c. 11. Primeros: de Morb. Mul. libr. 1. cap. 2.*

X X I I I.

Et hæc de causis tam proximioribus, quam remotioribus dicta sufficiant: Sequuntur signa tum diagnostica, tum prognostica: Diagnostica quod spectat, ægræ confessio & relatio instar omnium est signorum, si vero pertinax patiens ex impestivo pudore hoc per se indicare vereatur, animadvertere licebit ex continuis capitibus doloribus; lassitudine corporis, proclivitate in somnum, melancholia, respiratione difficili, palpitatione cordis; Cardialgia; Pica; Ventriculi a pastu inflatione, & gravitate; Nausea, & vomitionibus; Lumborum, & infimi ventris doloribus tensivis, nonnumquam rodentibus, & lancinantibus; Borborygmis molestis; ha-

habitu corporis subtumido, pallido, pulsu parvo frequenti; alvo pigra; Urina pallida, crassa, aut flammea; & tandem ex præsentia febriculæ, Medicis Epiala dictæ: Notandum autem non omnia hæc symptomata in omnibus reperiri virginibus affectu hoc laborantibus, sed pleraque in plurimis, & quædam in quibusdam; quo plura nunc conjunguntur eo certius ferri judicium potest.

X X I V.

Pensitatis breviter signis diagnosticis, prognostica brevibus quoque persequamur: in genere *Hipp.* sic ratiocinatus est *aph. 59. sect. 5.* Menstruis abundantibus morbi eveniunt, & subsistentibus accidunt ab Utero morbi. Et in *Coac. prænot.* Menses non supprimi commodum est. Contrarium ergo malum. *libr. 1. de morb. mulier.* Ratione subjecti tale fert prognosticum, scil. mulierem quæ non peperit gravius, & citius a Mensibus ægrotare, quam eam, quæ peperit. Cujus sententiæ rationem egregie eodem in loco reddit. Ratione Causarum, leviolem, & minus periculosam æstimamus suppressionem, quæ ex sanguinis, quam quæ ex vasorum vitio orta est. Et quæ est ex coalescentia, compressione vasorum, item quæ a mutato Uteri situ curatu difficilior est, quam quæ est ab humorum infarctu: Symptomatum ratione, quo plura & graviora fuerint, eo periculosius est malum, & quo diutius subsiterunt, eo difficilior est eorundem revocatio: Bene speramus quando per nares natura evacuationem instituit; qua de re extat iterum *aph. 33. sect. 5.* Mulieri, Menstruis deficientibus, sanguis e naribus profluens bonum est, per hæmorrhoides quoque in ægræ commodum evacuari posse, arbitramur; in summa quo nobilior est pars corporis & quo magis ad conservandam vitam necessaria, eo periculosius est, si Menstrua per eam evacuentur. Per multas itaque evacuatio hæc institui potest minori periculo, per alias non nisi maximo. Inprimis autem periculosum est, imo lethale si Menses fuerint in pulmones recepti, certissimam enim inde labem contrahunt. Et *Hippocr.* dicit impossibile esse talem superesse posse. Idem pro lethali habet, si menses ad sextum usque mensem in corpore retinuerit mulier. Sententiam hanc si ita nude consideretur

retur pro falsissima cenſet *Hercul. Saxon. l. 4. cap. 26.* qui quomodo intelligendus ſit *Hippocr.* locus ibidem explicat. Multi adhuc eventus modi tam ſalutis, quam mortis a nobis recenſeri poſſent, verum harum pagellarum anguſtia, & temporis penuria ad finem nos properare jubent. Super eſt autem ut de hujus malis curatione pauca adferamus.

X X V.

Varie pro cauſarum varietate inſtituenda eſt hujus affectus curatione: ac primum ſi nimia ſanguinis copia Suppreſſionis cauſa ſit venæ-ſectio plane neceſſaria eſt, de loco vero & tempore in quo inſtituatur ad nauſeam uſque litigant Præctici, *vid. Rod. a Caſtr. River. Cæſalp. Primeros &c.* in eo tamen plerique conſentiunt ſecandam eſſe Venam Saphænam, quam ideo Uterinam vocant: Palmaria eorum ratio, quam allegant, eſt ſequens, quo ſanguis, majori impetu ad partes inferiores, ſicque ſimul ad Uterum pelliciat: & quidem illo tempore, quo alias menſes fluere ſolebant. Quod ſi incertum ſit eam circa novilunium vel plenilunium inſtituere jubent: eo quod hoc tempore facilius obſecundant humores Medicamentis teſte *Ruland. in Prax.* Quod ſi in pituitam Sanguis craſſam, lentam, & viſcidam abierit corrigitur illis omnibus, quæ in Leucophlegmatia commendantur: inter plurima vero cætera, quorum numerum Præctici ineunt, probatæ ſatis virtutis ſunt, & excellunt plantæ Aromaticæ, Amaricantes, & Acricuſculæ. v: g: Roſmar: Puleg: Meliſſ: Marrub: Alb: Matricar: Arthemif: Calam: Sabina: Fl: Cheiri, Calendul: Croci: Cicera Rubr:, Rad: Rub: Tinctor: Zedoar: Ariſtoloſch: Rot: Galang: ipſaque aromata, ac præcipue Cinnamom: quibus purgantia Uterina interponuntur, ut Aloë, Myrrha, Rad: Bryon: Colocynth: Gumm: Ammoniac: Bdellium, Sagapenum, Opoponax, Galbanum, Aſſâ fœtida, Elixir proprietatis quodcumque &c: ex quibus parata varia Salia volatilia oleoſa & aromatica, tincturas, elixiria; pulveres, & compositiones alias lubens, volensque, prætereo, quia maximam partem in vulgus jam notæ ſunt, atque ex tot Medicamentorum fœcunda, amplaque ſegete ſimplex aliquot Medi-

tamentum usui huic futurum seligi, ex variisque varias confici compositiones in promptu erit.

Inquirendum denique nunc erit, quomodo illa Mensium Suppressio tolli queat, quæ ex Uteri mala conformatione exoriri solet. Prima itaque cura sit, ut viarum Uteri tam advehentium, quam emittentium angustia, quantum quidem possibile, tollatur. Si itaque tumor quidam præter naturalis. E: G: vesicæ vel intestini inflammatio. Arterias sanguinem ad Uterum adducentes, comprimat, & hinc Mensium Fluxus cesset, ordinarium ille recursus obtinebit, si talis tumor, qui peculiarem medendi methodum requirit, fuerit sublatus. Quod si vero a fibris Uteri nimium strictis, vel a particulis heterogeneis e Massa Sanguinea huc congestis tubuli sanguiferi coarctentur, aut plane obstruantur, opera impendenda venit, vel ut fibræ Uteri constrictæ relaxentur, vel ut particulæ Uteri vasculis inhærentes, sanguinisque egressum inhibentes removeantur. Ad hunc scopum obtinendum externa in subsidium sunt vocanda, quæ vel toti inferiori Corporis regioni, vel partibus genitalibus applicantur: adeoque conducunt hic maxime Balnea ex vegetalibus emollientibus parata: Ut vero eo melior subsequatur effectus, ante hujus ingressum commodum erit exhibere interna quædam volatilia, & quæ motum sanguinis reddunt fortiolem, qualia supra sunt relata. Suffitus & vapores hinc porro conveniunt, qui particulis suis tenuissimis tubulorum oscula conniventia recludunt, obstructions incidendo, & extenuando particulas crassas, & viscidas tollunt. Hæc suffimenta modis variis, variisque remediis instituuntur, V: G: ex Colocynthide, Sabina, Myrrha, Gummi: Ammon: Styrace &c. & aliis aromatibus, quæ prunis injicienda sunt, ut ad Uterum suffitus per tritorium aut tubulum Uterinum derivari possit. Huc spectat vapor e lixivio scoriarum reguli Antimonii ignitis silicibus affuso proveniens, qui dilatatis cruribus est excipiendus.

Palmam autem cæteris fere omnibus præripit evaporatio Spiritus Salis Ammoniac: ope instrumenti Glauberiani, vel tritorii Matrici immissa, cum tenuis maxime & penetrantissimus ille Spiritus sit, & quosvis poros facillime subire aptus. Et quid clysteribus Uterinis, pessisque, ejusque generis aliis remediis opus est,

ubi hæc sufficiant? quæ alia circumspecte sane abhibenda sunt, cum exulcerationes in Utero, nec contemnenda mala alia inferre, soleant; Clautura denique Uteri vagina, sive a primo ortu, sive ab ulcere aut vulnere inducta fuerit, ferro erit referenda, quod ab operationibus chirurgicis est expectandum. vid. *Cels. libr. 7. c. 28. Hildan. Cent. 3. obs. 60.*

X X V I.

De Diæta nihil addimus, remittentes B: L: ad causas nonnaturales affectum nostrum simul producentes, & superius traditas, ubi illorum abusus in usum legitimum converti, sicque præsentî statui applicari poterit.

X X V I I.

Atque hæc sunt, quæ de hoc morbo loco exercitii Academici pro ingenii tenuitate, proponere decreveram. Tu L. B. serena fronte accipe, & si quæ forsan generalius tractata, aut plane prætermiſsa sunt, de meliori nota interpretare.

F I N I S.



COROLLARIA.

I.

Sanguis Menstruus non est vitiosus.

II.

Menstrua a sola Plethora oriri statuo.

III.

*In nimio Mensium Fluxu, eorumque
Suppressione Convenit V: S:*

COROLLARIA.

Sanguis Mensuris non est vitiosus.

Mensura a sola Plethora crivi dicitur.

In nimio Mensuris Fluxus, coarctatus
Suppressionis Concretus V. 2.